# DE DEC. MAGNI AUSONI GENERE DICENDI QUAESTIONES.

## DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

CALENDIS IULIIS A. MDCCCLXXIII

IN PUBLICO DEFENDIT

SCRIPTOR

ANDREAS MEURER,

AQUISGRANENSIS.

MONASTERI,

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA ASCHENDORFFIANA.

MDCCCLXXIII.

R. V.

# IOANNI-BAPT. MEURER

FRATRI CARISSIMO

QUA SEMPER ERGA EUM FUIT FUTURUSQUE
EST PIETATE

AUCTOR.

# Praefatio.

Duae praecipue me impulerunt rationes, ut de Dec. Magno Ausonio, Romanorum poeta haud quidem praestantissimo, qua possem diligentia verba facerem. Ac prima est, quod Ausoni scripta adhuc tenebricosa indignoque modo corrupta iacent eamque ob rem criticorum manum studiumque doctorum maxime desiderant; altera, quod nondum quisquam de illius poetae genere dicendi disputavit, quum ea omnibus fere Romanorum scriptoribus sors contigerit, ut, quamnam peculiarem dicendi haberent rationem indagaretur. Namque mirum quantum Ausonius adhuc prae ceteris Romanorum scriptoribus neglectus est. Nam si quis ad Ausoni codicum auctoritatem respiciat, magnum quidem eorum numerum, sed alios aliter depravatos deprehendat. *) Neque multo melior editionum condicio est. Qarum numerus haud exiguus, sed omnes ex iisdem paene laborant vitiis. Itaque permultae adhuc Ausonianae orationi adhaerent maculae, quae tandem arte critica, posita in codicibus diligenter excussis ac singulis poetae carminibus accurate perlustratis, eluantur necesse est. Utinam mox Ausonio exoriatur Aristarchus! — Denique ad criticum apparatum quod attinet, permultum quidem profuerunt illi docti viri, qui totum Ausonium vel eius operum partem interpretati sunt; multa tamen iidem reliquerunt, quibus opera studiumque doctorum adhuc maxime opus sunt. Recentiore tempore pauca tantum Ausoni carmina, non tam grammatice quam critice recensita, cura doctorum limatiora

*) Cf. Vinet. in praef. comment. in Auson.—De Ausoni codd. vetustate auctoritate ratione inter singulos intercedente nuper disputavit Theob. Rhaese in comment. de re metrica Ausoni p. 1 sqq. Rostoch. 68.

exstiterunt, inter quae honoris causa Boeckingi editionem Mosellae commemoro. Igitur valde adhuc Ausonius neglectus est. — Num suo iure ac merito? Equidem non puto. Nam quamvis Ausonius ut poeta parvi aestimandus sit (vide infra), unde factum est, ut quidam ei versificatoris non poetae nomen attribuerent — certe rhetor cultorque tanquam infimae sermonis Latini aetatis magno nobis debet esse momento. Quo magis mirandum est, quod nondum quisquam Ausoni proprietates dicendi indagatas composuit, vel ideo, ut cognosceretur, quatenus Ausonius ab optimorum Romanorum usu dicendi discesserit. Hac autem ipsa re constituta quantum ad Ausoni opera quum critice tum grammatice proficiatur illustranda demonstrare supersedeo.

Quibus de causis lubenti animo operam suscepi, ut Ausoni genus dicendi in quaestionem vocarem. Quo labore si futurum est, ut paulo familiarior doctis existat Ausonius, maiorem laudem quam laborem invenero.

Quum autem „benignum et plenum ingenui pudoris est fateri, per quos profeceris", his libris nonnihil me esse adiutum profiteor:

Neue, Formlehre d. Lat. Sprache.

Klotz, Handwörterbuch d. Lat. Sprache.

# Pars I.

## Generale de Ausoniano sermone iudicium; de graeco eius colore.

Antequam de Ausoni proprietatibus dicendi singulatim agamus, paucis eius naturam sermonis in universum perstringere liceat. Quae res nobis tanquam fundamentum erit, quo nisi singulas proprietates indagatas facilius in certum ordinem redigere possimus.

Ausonius saeculo IV. p. Chr., omni eloquentiae eruditionique iniquissimo, editus, quo saeculo oratio pedestris, inani verborum volubilitate et poeticis tropis licentiisque fucata, quasi flos hermaphroditus, horum poesis erat, quos musa ingenua, ardor vigorque poeticus vel, ut paucis comprehendam, „ingenium, mens divinior atque os magna sonaturum“ plane deficiebat: etsi prae ceteris ingenii magnitudine antecellens tantum abest, ut sanus per sui saeculi naevos faecesque evaserit, ut omnia ingeni vitia eius imbiberit. Inde Ausoni carmina a poetica vi, ingenii aliqua felicitate, sententiarum gravitate et maiestate multum absunt: Cf. Heine opusc. VI. p. 40 sqq. Sed inde et eius sermoni multa insunt, quae puritati linguae Latinae minime conveniunt. De quibus vitiis iam uberius disseram.

Ausoni stilus, ut omnium fere qui eius saeculo floruerunt poetarum, duriusculus est. Recte Erasmus in Ciceroniano Ausoniani aevi indolem accurate et carptim perstringit, cum dicit, Ausoni stilum tempora illa, aulae delicias et licentiam resipere (vid. Ausoni vitam ex Vineto in Tolli edit. p. 819.). Latinus sermo doctorum tunc a nativa perspicuitate et simplicitate, ab inartificiali quodam nitore desciverat aberraveratque in orationem turgidam ac contortam. Cuius rei testis verus iam Symmachus est, qui in epist. 3, 11.: Trahit nos, inquit, usus temporis in ar-

gutias plausibilis sermonis. Quare aequius admitte linguam saeculi nostri et deesse huic epistolae atticam sanitatem boni consule. Cf. Ferd. Haud, Lehrbuch des lateinischen Stils. pag. 79. Summam sermonis elegantiam tunc affectabant in ieiuna concertatione atque inani verborum strepitu, vel, ut uno verbo dicam, in stili tumore. Cuius rei tanquam elegantissimum exemplum est ipsius Ausoni Gratiarum actio, pro consulatu epistola, panegyricus ille, omni verborum tumore ac strepitu calamistro tanquam adhibito praeditus atque inflatus. Qui inanis verborum sonitus ambitusque praecipue in magnis longisque periodis cernitur. Quae „stagnantes instar effuso torrente aquas“ redundant copia verborum ex grandiloquo ore effusorum: consistunt plerumque — atque haec summa earum debet esse elegantia in — syllabarum sibi respondentium aequitate ac parilitate.

Cui rei unum tantum exemplum ex Gratiarum actione petitum adiunxisse sufficiet. L. c. in §. 2 legimus:

. . . sed usquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in coetu hominum, tum ipse mecum, et cum voce patui et cum meditatione secessi . . . . . .

Id genus exempla l. c. usque ad fastidium multa legimus. Qui sermonis tumor eo magis auribus aegre ferendus est, quippe qui sententias saepe neglegat et obscuret.

Cum hac autem fucosa, turgida artificiosaque sermonis natura alia artissime cohaerent vitia.

Ac primum novitatis Ausonius studiosus erat. Nova permulta finxit vocabula neque raro novas eorum significationes et terminationes. Quod studium inprimis in vocibus compositis perspicitur. Exempla suis quaeque locis infra inserentur.

Tum archaismo Ausonius sermonem suum maculare non dubitavit. Quod vitium sane scriptoribus, qui Ausoni saeculo floruerunt, commune erat. Velut Symmachus, vir dexterae eruditionis, in epist. 3, 44. ingenue fatetur, se *ἀρχαϊσμὸν* scribendi non invitum affectare. Multis vocabulis Ausonius usus est, aliis paulo magis priscis, aliis obsoletis, saepissimeque obsoleta vocum terminatione et declinatione. Exempla huc revocanda infra suis quaeque locis afferentur.

Denique satis familiaris Ausonio erat licentia, ut in Latino sermone Graeca admitteret. De qua re iam hic uberius mihi disserendum est, quo infra in iis tantum proprietatibus, quas Au-

sonius in usu vocabulorum mere Latinorum habet, liceat morari.

Ausonius tam saepe in Latino sermone Graece locutus est, ut eius oratio Graeco colore tanquam fucata sit.

Plus trecentas voces ingenue Graecas in carminibus suis dispersit. Permultis deinde vocibus e Graeco fonte haustis usus est; neque iis tantum, quibus per frequentem Romanorum usum iam civitas, ut ita dicam, data erat — neque ob eam rem mihi vituperandus est — verum etiam nova vocabula e Graeco sumpta eaque non „parce detorta" in Latino sermone usurpavit. Haud ab re duco, eas voces, quas Ausonius e Graeco sumtas primus *) inter scriptores infimae Latini sermonis aetatis admisit, hic literarum ordine referre.

Amen, *ἀμήν*, in ephem. orat. 85.
antibacchus, i, *ἀντίβακχος*, in epist. 4, 93.
apalaria **) vel applaria derivantur ab adiect. *ἁπαλός*, (cf. Forcellini, l. c. s. h. v.) in epist. 21. pr.
attubus (quod Scaliger ex veteri glossario restituit pro mendoso „artubus"), *ἄτυπος*, in epist. 22, 9.
cora, *κόρη*, = pupilla oculorum, in epist. 16, 60.
cynice, es, = *ἡ κυνική*, in epigr. 27.
Cypris, idis, in epigr. 57, 1. ibid. 106, 2.
cystus, i, *κύστος*, in epigr. 123, 5.
Cythere, es, in epigr. 39, 5., 57, 5.
dyseros, otis, *δύσερως*, in epigr. 92, 1.
elegīon, vel elegēon = elegia, in epigr. 94, 2 et parent. 29, 2.
embolimaeus, a, um = intercalaris in eclog. de rat. dier. 13.
emporus = mercator in epist. 22, 28.
epitropus, epist. 22, 2.
isopleurus, a, um = *ἰσόπλευρος*, idyll. 13. pr.
isosceles, adiect., ibidem.

*) Voces, quas hoc loco et infra pro Ausonianis habendas esse contendo, eae sunt, quas ante Ausonium in usu non fuisse verborum indices docent. Equidem inspexi et inter se contuli: Aegid. Forcellini „Totius Latinitatis lexicon" et Klotzi „Handwörterbuch der lat. Sprache."

**) Klotzius (l. c. sub voce „hapaluria"), apud Ausonium l. c. hapaluria legere videtur.

leuconotus, λευκόνοτος, in technop. de deis, 12.
logodaedalia, λογοδαιδαλία, in idyll. 12. grammat. 1.
melodus, a, um, μελῳδός, in epigr. 16.
menis, idis = μηνίς, in prof. 25, 1.
Metanoea, ae, in epigr. 12.
methodus, i, in idyll. 11, 68.
Mnemosynae = musae, in idyll. 11, 30.
obelus, i, in sapient. 1, 13.
plasma, atis, in epist. 10, 1.
scalenus, a, um, σκαληνός, in idyll. 13. pr.
Sigalion, onis, in epist. 25, 27.
Siredones quasi σειρηδόνες, in idyll. 11, 20.
technopaegnion, insc. idyll. 12.
tectonicus, a, um, τεκτονικός, in idyll. 10, 298.
tetragonum, τετράγωνον, in eclog. de rat. puerp. 21, 42.
threnus, i, θρῆνος, in prof. 5, 3.
tribon = pallium tritum in epigr. 53.

Hae sunt voces ab Ausonio e Graeco fonte haustae.

Nonnullis porro vocibus Ausonius usus est ex Graeco Latinoque conglutinatis, quas hybridas dicimus. Sic in epigr. 115, 1:

fūrippus et ibid. fŭrippus;
myobarbum in epigr. 31.

Huc quoque referendae sunt formae secundae declinationis, „vinoio" „bonoio", „campoisin", aliae, quas Ausonius in epist. 12, ut ipsius verbis utar, „sermone alludit bilingui." Ad haec cfr.: Ausonius und die maccaron. Poesie, Reinhold Köhler, Rhein. Mus. 12. Jahrg. 1857. p. 434—436.

In flectendis vocabulis e Graeco sumptis, Ausonius e more ceterorum Latinorum poetarum modo Graecae modo Latinae declinationis formas adhibuit. Hoc valet inprimis de nominibus propriis. Sic promiscue Nereos et Nerei, Nestora et Nestorem, Alcidā (in epigr. 27, 3) et Leucatē in idyll. 6, 24 (cf. Neue, Formenlehre d. Latein. Sprache, I, p. 61), Didûs et Didoni, id genus alia scripsit. Non omitto mythôn in prof. 21, 26 et choriambon (accus.) in epist. 493. In prof. 13, 6 legitur in uno libro MS ut Heins. ad Ovid. Her. 7, 97 annotat, genetivus „Ceu"; l. c. Ceu Musa Simonidei. De qua lectione conferendus est Neue, l. c. I. pag. 131.

*Denique Ausonius* non dubitavit multas Graecas verborum

constructiones in Latino sermone admittere. Cf. in Gratiar. act.: „ut amat fieri apud Deum“ ὡς φιλεῖ . . . Hanc proprietatem uberius illustrare alienum est a proposito meo. *)

Hactenus de Ausoni stilo generatim designato. Iam nunc ostendamus hae proprietates quatenus in Ausoniano vocabulorum usu, in eorum terminatione et declinatione et genere cernantur. Syntaxin Ausoni examinare omitto; nam praeterquam quod omnia huc revocanda tam incerta mutabiliaque sunt, ut in certum ordinem redigi vix ac ne vix quidem queant — haec quantacunque sunt, iusto modo persequi, longioris laboris conatus fore, quis non videt? In his igitur quasnam Ausonius habeat proprietates exemplis demonstrabimus. Inter quae ne in materia tam copiosa et prolixa longius evagemur, ea tantum in medium proferemus, quae memoratu dignissima sunt. Qua in re si quid omiserim, aliud male viderim, lector consideret illud quod meum faciam Ausoni:

Alius alio plura invenire potest: nemo omnia.
(Auson. in praef. idyll. 11.)

*) De ea Ausoni proprietate, qua in Graecis vocabulis ex more sui saeculi poetarum, Sidoni, Prudenti, aliorum non quantitatem syllabarum, sed accentum spectaret atque illam hoc tantum metiretur, conferendus est Theob. Rhaese in comm. de re metrica Ausoni p. 16 sq. Exemplis eo loco allatis equidem adiungo ex epist. 18, 19 telios media syllaba correpta, quamquam Graece τέλειος dicitur. In idyll. 11, 32 legitur Cithĕron, quasi Graece Κιθερών esset, non Κιθαιρών. Ex epitaph. heroum 1, 4: Clytĕmnestra, Graece Κλυταίμνηστρα. In qua voce quod corripit Ausonius mediam syllabam mihi non tam mirum est ob ipsam syllabam natura longam correptam, quam propter neglectam positionem, quam duae literae liquidae mn efficiunt. Sed monet iam Scaliger, cuius conferas velim annot. ad hunc l. et ad idyll. 11, 32 (edit. Tolli), in veteribus membranis fuisse „Clitemestra“. Inde mihi quoque veri simillimum est, Ausonium „n“ litera reiecta „Clytemestra“ scripsisse Eodem modo Servius in comm. ad Verg. Aen. 10, 479 „Hypermestra“ pro „Hypermnestra“ et Hygin. in fab. 109 „Polymestor“ pro „Polymnestor“ exhibent (cf. Klotz, l. c. s. h. vv.). Quod si pro certo sumpserimus, non iam offendemus in correpta syllaba longa (Clytĕmestra). Nam haec licentia Ausonio satis familiaris erat; idquod Theob. Rhaese l. c. p. 16 permultis exemplis ostendit ac comprobavit.

# Pars II.

## Quaestio I.

## De nomine substantivo.

### §. 1.

### De substantivi terminatione.

Ausonium exquisitum quid in oratione texenda affectasse maxime ex eius nominum substantivorum usu elucet. Quod studium praecipue eum movit, ut permulta nova substantiva maxime ex parte nulla necessitate coactus fingeret. Libet haec omnia hoc loco componere. Inter quae pleraque, quippe quorum significatio primo aspectu prorsus perspicua sit, sine interpretatione referentur.

**1. Substantiva verbalia.**

Anticipator in ephem. orat. 9 (carmine quod alii Paulino Nolano tribuunt), Deus mundi.
Constrator in technop. de deis. 12.
Edissertator in sap. prol. 33.
Demensio in epist. 5, 11.
Habitatrix in idyll. 10, 82.
Imitatus, us, in perioch. 14. Od.
Manamen in idyll. 10, 32.
Novatus in idyll. 14, 39.
Occursator in idyll. 12, 25 (cf. substant. occursationis ap. Cic. pro Planc. 12, 29).
Profligatio in perioch. 2. Od. — bonorum. —
Vegetator in ephem. orat. 16.

Haec sunt substantiva verbalia ab Ausonio conficta. Quibus

unum substantivum abstr., quod ab adiectivo derivatum est, adiiciam.

Serietas (serius) in parent. 2, 6. — Cf. Hand, Lehrb. d. lat. Stils. §. 32, p. 82.

## 2. Substantiva composita.

Inter substantiva composita haec pro Ausonianis habenda sunt:

Consocrus, us in parent. 30. insc.
semidies in eclog. de rat. dier. 5; ibid. de rat. solst. 2.
semipuella in idyll. 11, 21.
subdoctor in prof. 23. insc.
trihorium in idyll. 10, 87; in epist. 4, 60 (62).

Ex substantivis in „gena“ et „cola“ exeuntibus haec profero:

aquilonigena in idyll. 10, 404.
caeligena in eclog. de fer. Rom. 36.
limicola in epist. 7, 36.
limigena in idyll. 10, 45.
Saturnigena in idyll. 15, 22. (cf. Sidon. in carm. 9, 132).

Ex similitudine horum exemplorum in Aus. idyll. 10, 116: „amnigenas“, non „amnigenos“, id quod nonnulli codd. exhibent et Boeckingius in textum recepit, legendum esse censeo; eodem modo in Auson. ephem. orat. 47 unigenae“, non „unigeni“. (Unigenam etiam apud Ciceron. in Tim. 4 legimus.)

Praeter haec permulta alia substantiva simplicia, animalium urbium, fluviorum, aliarum rerum cognomina, quae solum apud Ausonium leguntur, observavi: Inter quae nomina propria prudens omitto.

alausa (piscis), idyll. 10, 127.
barbus (piscis) ibid. 134.
burra *) in praefatiunc. ad Pacat. 5.
carroco (pisc.) epist. 4, 60 (57).
elegatus (pisc.) in epist. 4, 61 (59).
Ineptiola, deminut. ab ineptia in idyll. 11, pr.

---

*) Verisimile est Ausonium hanc vocem ex sonitu rerum nugatoriarum finxisse. Burrae significant nugas vel gerras, quas Ausonius in idyll. 11. pr. dicit. Neque tamen non probabile est, burras derivatas esse a Graeco verbo, quodest βρύω, unde Appuleius in met. 8. p. 211. 28. verbum suum borriendi vel burriendi hausisse putatur. Cf. Klotz, l. c. s. v. „burrio“.

Iuniades patronym. ab Iunio in idyll. 11, 36.
lallus vel lallum *) epist. 16, 91.
nausum (genus navigii) epist. 22. pr.
pava epigr. 69, 4. Cf. p. 15. infra.
platessa (pisc.) epist. 4, 60.
redo (pisc.) ibid. 89.
salar (forelle) ibid. 88. 128.
tinca (pisciculus) ibid. 125.

Haec sunt nomina substantiva, quae Ausonius aut primus aut solus usurpavit. Neque tamen novitatis studio ductus in his acquiescit, immo multa alia substantiva inusitata ac nova terminatione exhibet aliaque per apocopam, alia per syncopam mutilat ac truncat.

## Substantiva inusitata terminatione.

Arelas pro „Arelate" in clar. urb. 8, 2. Cf. Klotz, l. c. s. h. v.

Baculus = baculum in epigr. 53, 1. Eandem formam Ovidius (in fast. 1, 177) habet.

Farris forma pro „far" in epist. 9, 34. Cf. qua de hac re disserui in Quaest. I. cap. 3.

glus = gluten in monoss. per interrog. 12, 10. Sic Veget. de art. veter. 3, 66.

Impes = impetus in epist. 10, 25., prof. 21, 15., quo nomine diptoto etiam Lucretius in l. 2, 330 usus est. Aliud nomen diptotum est gratis, quod legitur in Aus. Grat. act. (grates agere). Non indignus est, qui hic annotetur, casus rectus, „spons", qui legitur in Auson. idyll. 12. per interog. et resp. 11. Cf. Charis. 1, 14. p. 34.; vid. Neue, I, p. 508. Porro nominat. „frux" in tech. de cib. 4. Cf. Neue, I, 512.

Lact = lac in idyll. 12. grammatic. 13. Veteres quidem lacte et lac in nominativo dixerunt, non vero lact, quippe cum nulla apud Latinos nomina in duas mutas exirent. Inde etiam Ausonius l. c. lact improbaturus est, quum dicit:

---

*) Haec quoque vox ab Ausonio ex sonitu, ut dicimus, conficta est. L. c.:

Lallique somniferos modos
Suescat peritis fabulis
Simul iocari et discere.

*Cf. Verbum lallandi ap. Pers. in sat. 3, 17.*

Vox solita et cunctis notissima, si memores lac,
Cur condemnetur ratio magis ut faciat lact?

Nubs = nubes in technop. de hist. 12. Nubs lectum est apud Liv. Andronicum, uti Servius docet in comm. ad Verg. Aen. 10, 636.

Seps = sepes in idyll. 12. grammatic. 11. quo loco Ausonius seps Ciceroni tribuit.

Pavus = pavo in epigr. 69, 4. Atque inde Ausonius fecit „pavam", ut significaret pavonem feminam. L. c.:

Pavaque de pavo constitit ante oculos.

Procacia = procacitas in epist. 22. pr.
Protervia = protervitas in idyll. 10, 172.
Pueritie's = pueritia in prof. Burd. 10, 15.
} voces Ausonianae.

Poenitudo = poenitentia in sap. Thal. 22. Eadem voce etiam Pacuvius usus est.

Rates = ratis in epist. 2, 5. Sic Valer. Prob. p. 1473.

Turturis = turtur in idyll. 13 pr. cf. infra cap. 3.

Nonnulla substantiva Ausonius apocopa admissa truncavit. In idyll. 12. grammatic.: gau pro gaudio; cael pro caelo (cael Ausonius l. c. 17. Ennio attribuit.); do pro domo (Graece δῶ) Ausonius ab Ennio mutuatus est, cuius illud „endo suam do" notissimum est. Vide Enn. ap. Diomed. 2. p. 436.

In grammaticom. porro leguntur al, tau, min, quas voces truncatas in Vergili catalectis repertas fuisse Ausonius dicit. Pro „al" fortasse allium exspectatur seu alium, seu alum potius, quod legitur ap. Plin. in hist. n. 19, 6. De voce „min" et celtica voce „tau" vid. Verg. catal. ap. Quint. 8. 3. 28., cf. huius loci interpretationem ap. Spald. in vol. 3. p. 231.

Aliquotiens denique Ausonius in mediis vocibus vocales syncopa admissa oppressit. Praeter formas aliis quoque poetis tritissimas: „saecli" in epigr. 26. 3.; vincla in eclog. de rat. puerp. mat. 42 haec exempla observavi:

ossicla in idyll. 13 pr.; In parent. 4, 26.

ocle, quod emendavit Scaliger (ocle tuo); „oclervo" praebet vetus liber, pro quo corrector Lugdunensis „exstincto", Tollius „atque uno", alii aliud substituerunt. Cf. Theob. Rhaese in comment. de re metrica Ausoni p. 8.

Hactenus de substantivorum terminatione disputavimus, nunc

ostendamus, in substantivis declinandis quasnam Ausonius habeat proprietates.

§. 2.

## De substantivorum declinatione.

Inusitatum quid etiam in nominum substantivorum declinatione Ausonius affectavit atque maximam partem antiquitatis studio obtemperans iis formis usus est, quae inter archaismos, qui vocantur, numerandae sunt. Nostrum est, quinque declinationum ordines deinceps examinare.

### I. Declinatio.

Primae declinationis genetivus semel apud Ausonium in ai syllabam desinit. In idyll. 7, 5.:

Matre carens, nutricis egens, nescivit herai
Imperium. *

Mutilum est hoc distichon lacuna exstante in versu altero. Inde Boeckingius in edit. Mosell. p. 71 (Bonnae 1842), cui „herai“ suspectum esset, Scaligero auctore recepit in textum „herile“. Sed veror, ut doctus ille vir iusta nitatur ratione. Nam cur Ausonius, quippe vetustatis amantissimus (id quod multis exemplis infra allatis satis apparet) hanc vetustam formam aspernatus sit, equidem non video.

Aliud eius genetivi exemplum legitur in Auson. eclogar. carmine, quod inscribitur: Q. Ciceronis versus eo pertinent etc. vs. 10, Nepai. Sed id carmen Q. Ciceroni tribuendum est. Cf. Burm. Anthol. Lat. 5, 41. Meier. 66.

Terminatio genetivi num. plur. „um“ pro „arum“ syncopa admissa (cf. Prisc. 7, 3, 9. p. 732), ab Ausonio in hisce vocibus exhibetur:

Aeneadum in epigr. 33, 2. al. l.; Druidum in prof. 10, 22. et epitaph. 27.; Caelicolum in idyll. 12. de deis, al. l. l.; Cecropidum in epist. 24, 55; Latoidum in epitaph. 27; Macetum in clar. urb. 2, 9. Sauromatum in idyll. 10, 9.

Terminatio dativi seu ablativi num. plur. „abus“ uno tantum loco apud Ausonium reperitur in perioch. 11. Od.:

circum volantibus animabus.

Cf. quae de terminatione „abus“ disseruit. Neue, I. p. 21. sqq. 30.

Obiter attingo voces literarum beta, delta, gamma, iota, quas Ausonius in idyll. 12. de monoss. secundum primam declinationem flexit. De qua re conferas Neue, l. c. I, 596 sqq. 669 sqq.

## II. Declinatio.

Genetivus substantivorum, quorum nominativus in us vel in um praecedente i vocali terminatur, quique inde ab antiquissimis temporibus usque fere ad Propertium per unam i literam pronunciabatur, (cf. Neue, I, p. 90) apud Ausonium plerumque in ii desinit. Haec tamen contractionis exempla inveniuntur.

Aquari in eclog. in quo mense qd. sign.; Byzanti in prof. 16, 13.; Canteri (alii Canterîs.) in epist. 14, 15. Capitoli in clar. urb. 13, 17.; Durani in idyll. 10, 464.; Hilari in parent. 6, 3.; Horati in prof. 6, 53.; Laeli in epist. 24, 45.; Leonti in prof. 7, 3, 16. Lucili in epigr. 70, 7.; negoti et oti in idyll. 17, 3. 4.; oti in epigr. 34, 15. (cf. Verg. in G. 4, 564.).

Genetivos num. plur. in „um" exeuntes syncopa admissa Ausonius hos exhibet:

Deum in epigr. 118, 6., multis al. l. l. Divum in clar. urb. 1, al. l. Superum in epigr. 3, 6. al. l. s. Virum in parent. 6, 6.; idyll. 10, 381. Italum in idyll. 10, 407. Geminum in idyll. 1, 25. Graium in perioch. 2. Il.

## III. Declinatio.

Nonnullorum nominum propr. nominativo singulari in „es" exeuntium genetivum Ausonius flexit ad similitudinem secundae declinationis.

Achillei in epist. 24, 107 et perich. 4. Il. Alixei in epist. 16, 13., ibid. 24, 106. Multo rarior est genetivus Simonidei in prof. Burd. 13, 6. cf. Neue, I. p. 340. 343.

Ablativum num. singul. Ausonius semel per „i" syllabam protulit, pro qua optimorum Romanorum usus dicendi, qui est norma dicendi, „e" obtinebat. (Missos facio ablativos amni in idyll. 10, 436 et navi in epist. 22. pr. et perioch. 4. Od., qui a politivis etiam L. L. aevi scriptoribus usurpati sunt cf. Neue, I. p. 219. 214. 216.). In epigr. 12, 8 legitur „occipiti". L. c.:

Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.

In qua ablativi forma si offenderimus, locum citatum facile sic emendare possimus:

Occipite es calvo . . .

Sed hac mutatione non opus esse videtur, cum Persius quoque occipiti exhibeat. Sic capiti apud Catullum in 68, 124.

„Amori“ in epigr. 100, 4. (neutro potiundus amori) pro dativo, non ablativo accipiam. De qua re infra in quaest. II. c. 2.

Uno loco Ausonius contra usum dicendi ablativum per „e“ profert. In eclog. quoteni dies mensium. 2. Septembre. Cf. Neue, I. p. 230.

Genetivus num. plur. eorum nominum, quae ex auctoritate optimorum Romanorum scriptorum genetivo plurali „ium“ terminationem recipiunt, saepe apud Ausonium per „um“ terminatur. Omitto „mensum“ in Auson. eclog.: Quo mense quotae nonae vel idus sint. 4., et „fraudum“ in Grat. act. p. 299 (edit. Bipont.), quae formae aliis quoque tritissimae sunt. Cf. Neue, I. p. 265 et ibid. p. 279 (quo posteriore loco falso fraudium ex Ausonio citatur.) Praeterea genetivi participiorum plerumque, etiamsi participium vim substantivi obtinet, apud Ausonium in „um“ desinunt:

Animantum in idyll. 18, 8. ibid. 12, 2. senescentum; inertum in ephem. orat. 16. viventum in prof. 25. sapientum in lud. de sept. sap. Solon. 2.; ignoscentum in idyll. 6, 75.; spirantum idyll. 10, 96.; natantum in idyll. 10, 107. 140. 250. furentum ibid. 292.; probantum in epist. 19, 17.; volentum in epist. 24, 113.

Denique hoc loco annotare libet Ausonium in epigr. 62, 2. dativum bŭbus (bōbus) paenultima syllaba correpta exhibere. Cf. Neue, I. p. 297.

De terminatione accusativi num. plur. „eis“ (is), quae in nonnullis editionibus invenitur: — vide „aureis“ in idyll. 5, 2.; dulceis ibid. 5.; alacreis in idyll. 10, 204.; facileis ibid. 240. pubescenteis in idyll. 14, 44. — nihil certi adhuc Ausoni codd. nondum accurate perlustratis et inter se collatis statuere possumus.

## IV. Declinatio.

Tres quartae declinationis voces more veterum scriptorum Ausonius in genetivo ad similitudinem secundae flexit.

Praeter tritissimum illud senati in epist. 25, 26., idyll. 8, 5. legimus fructi in sept. sap. Chil. 10.; sumpti in epist. 7, 40.

Semel eiusdem numeri genetivum in „uis“ desinentem profert. In parent. 16, 1. „nuruis“.

Dativum denique uno loco per „u" fecit. In ephemerd. parecb. 18.:

„Sociata sacro Spiritu."

Cf. Neue, I. p. 362—366.

### V. Declinatio.

Quinta declinatio aliquotiens apud Ausonium genetivum per „e" et per „i" (geminatam) literam facit.

Die in idyll. 14, 14. In eclog. de ratione librae 31.:

„Libra die somnique pares determinat horas."

Cf. Verg. Georg. 1, 208.:

Libra die somnique pares ubi fecerit horas.

Dii in eclog. 4. (ratio dier. anni vertentis) 7, 12. Huc denique refero formas substantivi heterocliti: „requie" (genet.) in idyll. 4, 4.; et „requie" (abl.) in Grat. act. p. 301 (ed. Bip.)

---

## §. 3.

## De genere substantivorum.

A communi consuetoque in usu substantivorum genere Ausonius vulgo non discessit atque exempla, quae hic ad illustrandas Ausoni dicendi proprietates afferuntur, non Ausonio quidem soli propria sunt, sed apte vel idcirco commemoranda mihi videntur, ut Ausoni auctoritate, quantulacunque est, illustrentur, fulciantur.

Ales, quod plerumque (cf. Neue, I. p. 634) femininum est, ab Ausonio masculino genere dicitur in idyll. 11, 16. 17.

Genere feminino ab Ausonio in insc. parent. 19. affinis dicitur; item iuvenis in parent. 12, 9. 19, 9. c. Neue, I. p. 618.

Cinis apud Ausonium et feminino genere est, cf. parent. 27, 3.; et masculino in prof. 26, 11. et in epitaph. 38, 2. Cf. quae de genere huius vocis disserit Neue, I. p. 684.

Iam venimus ad locum, de quo paulo uberius disputemus necesse est. In epist. 9, 33 sq. verba leguntur:

Ut multo iaceant algarum abducta recessu,
Aspera quae testis et dulcia farris opimae.

In his „farris“ a recto „far“ male congruit cum opimae; nam far apud Latinos non alio nisi genere neutro dictum est (cf. Neue, I. 649. p. 685.). Censeamusne igitur Ausonium far inusisato genere feminino usurpasse? — Monet Elias Vinetus, in veteri glossario reperiri farris in recto casu, quod potuerit esse generis feminini. Inde servat Vinetus „farris“ codd. lectionem, cum Tollius „carnis“ reponat. Ego quoque faciam cum Vineto. Nam magnae ratione habita licentiae, quam Ausonius quum in novis vocabulis fingendis tum in substantivis inusitata terminatione proferendis sibi sumpsit, non iam in hoc casu recto „farris“ offendam. Accedit quod huic mutatae terminationi exemplum prorsus simile Ausonius apud Plinium invenit. In Plin. h. n. 12, 12, 26. forma baccaris pro „baccar“ invenitur. Similia exempla sunt turturis = turtur ap. Auson. idyll. 13. pr.; vulturis = vultur apud Ennium (cf. Neue, I. p. 163.); lintris = linter in Sidon. carm. 5, 283.

Genere communi ab Ausonio in idyll. 11, 40. leo usurpatur:

> Illa etiam thalamos per trina aenigmata quaerens:
> Qui bipes et quadrupes foret et tripes omnia solus,
> Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
> Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Neminem hos versus attente legentem fugiet poetam leonem feminam dixisse non marem. Nam quum Sphinx (a superiore parte virgo) sexu est feminino, ne vix quidem eam in leonem marem desiisse cogitari potest. Profecto minimum veterum excultae elegantiae iudicio tribueremus, si monstrum eos finxisse crederemus, cuius natura ex utroque sexu mixta ac composita esset. Itaque leo l. c. significat leonem feminam. Quare miror, quod Neue, doctissimus ille vir, hoc loco omisso in p. 641: Leo, inquit, war Commune nach Serv. ad Virg. Ge. 3, 245. und nach Prisc. 5, 8. 42. p. 658. Als Femininum kennen wir es nicht, vielleicht aber konnte dieselbe Form beide natürliche Geschlechter bezeichnen. Cf. ibid. p. 644.

Mosella ab Ausonio et masculino et feminino genere dicitur; cf. idyll. 10, 350. 381. al. l. et ibid. 73, 148. 374. al. l.

Vulgus apud Ausonium in epist. 9, 45. masculini generis est.

Secus, nomen generis neutri, quod per omnes casus integra *forma declinatur, apud* Ausonium ter legitur; sed duobus locis

lectio incerta est. In idyll. 11, 8. secus muliebre *); in epigr. 70, 6. (alii: decus) in technop. d. hist. 26 (alii: pecus).

Tantum de dicendi proprietatibus, quas Ausonius in usu substantivorum habet.

# Quaestio II.

## De nomine adiectivo.

### §. 1.

### De adiectivi terminatione et significatione.

Ut in substantivorum, sic etiam in adiectivorum usu Ausonius et novitatis studiosum et vetustatis amantem se ostendit. Nam et multa adiectiva obsoleta aut certe obsoletam eorum terminationem nec politioris Latini sermonis scriptoribus usitatam posuit et permulta nova finxit, inter quae magnus est numerus adiectivorum compositorum. Libet primo loco omnia nomina adiectiva, quae quantum equidem scio Ausonius primus exhibet, referre.

#### 1. Adiectiva simplicia.

Adoneus in idyll. 12. de hist. 3.
Aeduicus parent. 2, 2.; ibid. 4, 3.
Bigerritanus in epist. 11 extr.
Byzantinus clar. urb. 2, 13. (Sidon. epist. 4, 7.)
Demosthenicus prof. 1, 19.
choriambus epist. 10, 37.
Dionysiacus eclog. de fer. Rom. 29.
dogmaticus idyll. 17, 16.
Dumnotinus epist. 3, 54.
Endymioneus idyll. 6, 41.
Gallulus clar. urb. 8, 2.

*) Monendum est secus hoc loco nominativum esse, non, ut alias plerumque, accus. qualit.

Gummeus idyll. 6, 74. (coddi. gemmeus.)
lacerabilis idyll. 15, 17.
liturarius idyll. 13. pr.
muriceus epist. 9, 4.
ninguidus epist. 24, 68. 124.
nautalis idyll 10, 223. *)
Opalis eclog. de fer. Rom. 19 (alii: Opis ante).
Palamedicus idyll. 12 de literis monas. Gr. ac Lat. 25.
papyrius epist. 7, 49.
Pictavicus epigr. 51, 2.
Pictonicus prof. 10, 40.
placidulus parent. 27, 3.
Ptolemais idyll. 10, 311.
Sipyleius epitaph. 27, 1. (Sipyleus Stat. silv. 5, 1. 33.)
teporus eclog. A. solst. in aequinoct. 1. (Sidon. epist. 9, 16.).

## 2. Adiectiva composita.

aequilatus, eris in idyll. 11, 51 et praef. ad Centon.
aequimanus, a, um, idyll. 12 per interog. et resp. 3 (sensu translato = περιδέξιος Symm. epist. 9, 101 (110).
aequipar ibid. 14. (Sidon. l. 8. ep. 6.), cf. Forcell.
auricomans, idyll. 6, 11.
comparilis eclog. 2, 38. (Arnob. 2. p. 68.)
deiugis, idyll. 10, 164.
dulciloquus, idyll. 20, 4. (Sidon. ep. 8, 11.).
floricomus epist. 4, 49.
floriparus idyll. 12. de vere primo.
immaculabilis Grat. act. 27. (edit. Such.)

---

*) L. c. — — — — — sol — — — — —
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas.
Quod Boeckingius codd. lectione spreta „natales" in textum recepit, valde miror (cf. eius edit. Mosell. p. 16, 57.) Nihil mutandum est. Nam primum nautalis a nauta rectissime formatum est. Ut ab ancora ancoralis, a conviva convivalis, sic a nauta eadem ratione fit nautalis; alterum est, quod nec „nautarum" nec „nauticas" nec „navales" nec „natales" potest vim huius novi vocabuli exprimere. Denique quod natalis vox alias inaudita est, Boeckingium minime *offendere debuit*; nam quo Ausonius licentiae in novis vocabulis fingendis *progressus sit, exempla* allata satis declarant.

inaspicuus epist. 23, 22.
inconnexus idyll. 12. inconn.
intremulus epitaph. 34, 4.
mellifluens epist. 16, 14.
oblectabilis epist. 19 extr.
sedecennis epitaph. 32 insc.
teriugus epist. 8, 11. (alias triiugus, Neue, II. 70.)
transmeabilis Grat. act. §. 79. (Such.)
triffissilis epist. 28, 7.

Ex adiectivis compositis in „or" desinentibus haec pro Ausonianis habenda sunt:

artricolor in epist. 7, 52.
iricolor epist. 3, 15.
lacticolor epist. 7, 54.

In „pes" desinunt:

fissipes in epist. 5, 3.
lentipes epist. 21, 4.
remipes epist. 3, 13 ibid. 5, 34 (32).
volucripes epist. 9, 16. (Sidon. ep. 9, 15.)

Adiectiva in „fer" et „ger" terminata haec sunt:

falciger eclog. de fer. Rom. 36.
flagrifer epist. 14, 10.
fletifer idyll. 6, 74.
tricorniger idyll. 12. de liter. monos. Gr. ac Lat. 27.

Duo exeunt in syll. ficus:

modificus in parent. 27, 2.
pultificus idyll. 12. de cibis 5.

Duo denique adiectiva composita mihi commemoranda sunt, quae inter omnes voces Ausonianas et memoratu dignissima et intellectu difficillima sunt:

tergenus et quinquegenus, adiectiva indeclinabilia. Cf. Forcell., sed Klotzius falso quinquegenus adiectivum trium generum designat.

Mirum certe genus dicendi, cum Ausonius in idyll. 11, 43. sic loquitur:

„Humana efficiunt habitacula tergenus artes."

et ibid. 49:

„Tergenus omnigenum genitor, genitrix, generatum."

In idyll. 12. de cibis. 10:

et duplici defensa putamine quinquegenus nux.

(duo codd.: quinquegenis, quod ex librariorum errore, qui quinquegenus non intellegerent, ortum videtur.)

Tergenus utroque loco et quinquegenus loco citato rem significant, quae generis triplicis et quintuplicis est. Sed voces ipsae inauditae nominum fictionis sunt, qualem Ausoni solummodo in novis vocabulis fingendis licentia comprobaverit atque excusaverit. Iam quaeritur, quae nam ratio Ausonium, ut tergenus et quinquegenus fingeret, moverit. Sine dubio eum haec verborum constructio adduxit, in qua accusativi quidam relationis (id genus, omne genus, muliebre secus, alia) saepissime a poetis pro ablativo casu tanquam absolute ponuntur. Sic Verg. in Aen. 8, 114: Qui genus (sc. estis)? Lucretius (4, 735): Omne genus quoniam passim simulacra feruntur. Similiter Ausonius in id. 11, 43. sane quadam cum licentia dicere poterat:

Humana efficiunt habitacula tres (vel extra versum: trinae) genus artes et in idyll. 12 l. c.:

et duplici defensa putamine quina genus nux.

Qua constructione respecta Ausonius, opinor, ut rem simili modo exprimeret, tergenus et quinquegenus, vocabula indeclinabilia finxit. Ceterum si quis licenti horum adiectivorum compositione et discrepantia lectionum codd. (quinquegenus, quinquegenis) offensus aliquid mutandum esse putaret, facile in idyll. 11, 43. sic emendare posset:

Humana efficiunt habitacula tergeminae artes

l. c. 49:

Tergeminum omnigenum genitor, genitrix, generatum.

et in idyll. 12. l. c.:

et duplici defensa putamine quina genus nux.

Quae extrema emendatio, quamvis exquisita artificiosaque videatur, tamen ab Ausoniana licentia non abhorret. Ausonium saepissime numerum singularem numeralium distributivorum exhibere, postea docebimus (cf. Quaest. III.). Accedit quod „quina“, num. singularis, reperitur in Plaut. Pers. 1, 3, 19. et Plin. h. n. 17, 11 (16).

Hactenus de novis quae Ausonius exhibet nominibus adiectivis.

II) Iam ea adiectiva referimus, quae Ausonius vel nova vel parum sueta terminatione protulit.

Celebris forma gener. masc. in prof. 21, 10.

Urbice Graiis celebris.

dedecor = dedecorus in epist. 9, 5.

dedecor alga.

gnaruris (γνώριμος) = gnarus in epist. 22, 9:

Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum (Scaliger emend.)

irrequies = irrequietus, in ephem. or. 16:

Deus irrequies, porro in idyll. 12. de membris 5, ibid. inconn. 11.

opulens = opulentus in idyll. 2, 7.; in prof. Burd. 19, 5.

opulens senectus.

triiugis = triiugus in epist. 8, 6. cisio triiugi.

Huc denique nonnullas formas adiectivorum defectivorum revoco.

Sons nominativus casus apud Ausonium solum exstat (cf. Neue, II. p. 64.) in idyll. 12. Grammaticom. 15:

Si bonus est insons contrarius et reus est sons.

Aliud vocabulum defectivum est illud, quod legitur in idyll. 11, 23. „congrege ter trino"; epist. 10, 21. „congrege vulgo"; in perioch. 24. Od. „congregem densitatem." (cf. Neue, II. p. 65.) Casus rectus huius vocis uno tantum loco in gloss. Philox. reperitur. Contrariae significationis vox segrex est, (Sen. benef. 4, 18, 2. segregem) pro qua Ausonius formam „segregus" fecit; in parent. 8, 10:

Ipse tuo vivens segregus arbitrio.

---

§. 2.

## De declinatione nominis adiectivi.

Primum de adiectivis disseramus, quae sunt unus solus totus ullus reliqua, quorum genetivum apud optimos Romanorum scriptores in ius, dativum in i terminari scimus (cf. Prisc. 6, 1, 3. 4. 5. p. 677. 678.) Ausonius hunc morem plerumque secutus est. Sed quatuor observavi apud eum exempla, in quibus res secus est.

In praef. Centon. legimus:

„solae memoriae negotium"; hic igitur solae pro solius. Cf. Neue, II, p. 185 sq.

In prof. III. 5. 6. leguntur verba:

Eripuit patri Lachesis quem funere acerbo
Linquentem natos sexui utroque duos.

(sic codd.)

Rarissimum hoc loco exemplum dativi in o terminantis notandum est, ut iam recte Vinetus vidit. Tollius contra sexui vitiose ablativum esse posuit. Sexui dativus pendet a verbo linquendi. Reliquit sexui utrique i. e. sexui masculino et feminino duos natos. Utrique unum filium unamque filiam, an duos mares duasque feminas? Pulmanni emendatione „Sexu in utroque" nihil lucramur ad sententiam. Exempla, quae quadrant ad „utroque" vide ap. Neue, II. p. 185.; utroque ibid. non legitur.

In Auson. epigr. 50, 6:

— gignite
generisque neutri filios —

„neutri" pro „neutrius". dictum est. Cf. Neue, II. p. 186. „Neutro" pro „neutri" in Auson. epigr. 100, 4:

— Hermaphroditus —
Ambiguae Veneris neutro potiundus amori.

Ad grammaticam verborum constructionem respicientes et ablativum et dativum cum gerundio, q. e. „potiundus" coniungi posse scimus. Ratione igitur habita Ausonianae non parvae in nominibus declinandis licentiae „neutro amori" ablativos aut dativos esse conicere licet. Atque fieri potest, ut amori ablativus (insueta terminatione) sit; id quod aliis similibus, quae apud scriptores reperiuntur, exemplis comprobari potest. (Cf. Neue, I. p. 239 sqq.) Sed una est ratio, quae me impellit, ut amori et neutro potius pro dativis habeam. De declinatione vocis „neuter" Priscianus (6, 1, 4. p. 678) aperte: „Sed in hoc nomine, inquit, ex contrario aliis, quae simili forma declinantur, frequentior est usus genetivi in i et dativi in o terminantis in masculino et neutro, in feminino vero in ae diphthongum. Et alio loco 6, 7, 35. p. 694: Neuter tamen plerique neutri, neutro, declinaverunt . . .

Quibus verbis fide tributa non causam habeo, cur neutro non potius pro dativo, quam amori pro ablativo habeam, praesertim cum ad Ausonianam formam utroque respexerim.

2) Aliae II declinationis proprietates. Recte iam Neue, l. c. II. p. 15. formam genetivi „proprî“, quam Ramshorn (Grammat. 27, 2.) in Auson. sept. sap. Sol. 28. legendam esse censet pro proprii refutavit. Memoratu mihi non indigni videntur vocativi horum nominum (adiect.), quorum casus rectus in ius exit, quippe cum eius generis vocativi apud alios scriptores rarissime reperiantur. Omnes fere hi vocativi apud Ausonium „ie“ syllabis terminantur:

abstemie in prof. 15, 9; ibid. 24, 9.

Cythereïe in idyll. 8, 26.; impie epist. 24, 34.; Iunonie eclog. de cal. 13 (contra eclog. de mens. 3, 9. Mai), Martie in clar. urb. 13, 1. et epist. 24, 83.; regie epist. 20, 10.

3) Inter formas adiectivorum tertiae declinationis unam tantum inusitatam reperi.

In idyll. 10, 164: „deiuge dorso“; exspectatur deiugi.

Hactenus de Ausoni proprietatibus in usu nominum adiectivorum.

---

# Quaestio III.

## De nominibus numeralibus.

Propria Ausonio est licentia, quamvis non uni Ausonio (cf. Neue, II. p. 121), ut nonnulla numeralia distributiva singulari numero usurpet. Qui numerus singularis notionem adiectivorum proportionalium habet, quae sunt simplex, duplex, triplex etc.

Cuius generis exempla haec observavi. In epitaph. her. 33, 1.:

„Laeta bis octono tibi iam sub consule pubes.“

In idyll. 1, 29: „trina pietate vigentes.“

In idyll. 11, 12:

In toties terno cornix vivacior aevo.

ibid. 13. terni, 14. terno, 53. trino, 58. terno, 63. 66. trinum genus, 84. terno agmine. In epist. 24, 90. trino coetu.

In eclog. de puerp. mat. 4. septeno choro.

Tum familiaris Ausonio licentia est, ut ipsa numeralia distributiva pro cardinalibus ponat.

In idyll. 11, 19. trina elementa, ibid. 34. trina trinoctia, 42. trina consortia, 38. trina aenigmata. In eclog. Dist. de iisd. mensibus 2. bina tempora, in epist. 4, 62. bina trihoria.

Haud raro porro Ausonius iis locis cardinalia exhibet, quibus scriptores prosae orationis numeralia distributiva ponunt. Scimus enim adverbia numeralia vulgo cum distributivis coniungi, non cum cardinalibus. Cf. Neue, II. p. 123.

Quem usum Ausonius quoque plerumque quidem secutus est, nonnullis tamen locis eum neglexit.

In idyll. 11, 2: ter tria multiplicandi; ibid. 4. ter tribus; 6. novies novem; 22. ter tribus. In epist. 7, 25.: bis quinque adde. ibid. 29.: „aut ter quatuor adde bis novenis"; ibid. 34. aut septem geminis bis octo iunge. In epist. 5, 17 (19):

Bis septem tutilos regale nomisma Philippos. *)

In eclog. de ratione dier. anni vert. 18.:

Tercentum ac senis decies . . . .

Pro tercentum sine dubio compositione soluta ter centum legendum est. Atque ter centum Ausonius dixit pro ter centenis. Sic Ovid. in met. 14, 146. ter centum annos scripsit, cf. Neue, II. p. 123. Similiter Ausonius bis mille, ter mille pro duo millia, exhibet (prof. 1, 9. al. l.). cf. Neue, II. p. 124.

Unam denique numeralium formam usus rarissimi hic commemoro, quae est trecenteni. In eclog. quoteni dies sint mens. sing. 9:

Sic trecentenis decies accedere senos.

Trecenteni forma est pro „treceni", cf. Prisc. de fig. num. 6, 24. p. 1353 et Drakenb. ad Liv. 45, 16, 3. Neue, II. p. 119 sqq. supplement. II. 572.

---

*) Philippos hoc loco pro „Philippeos" (Hor. epist. 2, 1.) Sic Ausonius l. c. 21 (23) Dărios (prima syllaba correpta) i. e. Daricos, vel Dărius vel Dărēos.

# Quaestio IV.

## De pronominibus.

Pronominum simul terminationem significationem declinationem genus respicientibus paucae tantum Ausoni proprietates nobis notandae sunt, quae omnes fere inter archaismos habentur.

Pro pronomine ipse Ausonius uno loco „ipsus“, formam comoediarum scriptoribus maxime usitatam, exhibet. In idyll. 7 pr. extr. Ausonius Paulo suo S. P. D.:

Compedes quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber (Sic vetus verbum iubet).

Porro antique olli, ollis pro „illi“ et illis scripsit; in idyll. 6, 90.

Et in eclog. de rat. puerp. mat. 4.: „sed praesidet ollis.“ Vetustus dativus „quoi“ legitur in idyll. 11, 68.:

Quoi logos aut methodos cuique experientia nomen. (Scaliger).

In epist. 16, 30.:

Quoi omne saeculum ferreum. (Sic editiones). Cf. Neue, II. p. 165 sq.

Porro queis et „quis“ obsoletae dativi formae leguntur in epitaph. 22, 1. 2.: Queis Mysia segnum ......
et in clar. urb. 8, 8:

Gallia quis fruitur —

Mi pro mihi ter tantum apud Ausonium exstat. In epigr. 51, 3. Diceret sed, ipse vellem, rhetor hoc mî. — In epigr. 72, 2. mî pulcra est; et in centon. ingress. in cub. 8.

Pronomen istic, istaec, istoc, quo comici Plautus et Terentius, praecipue usi sunt, etiam Ausonius non paucis locis exhibet.

Istic (adverb.) in epist. 8, 13., ibid. 25, 61. istaec (isthaec) in epigr. 27, 1.; sept. sap. 1, 1. (Ausonius Latino Drepano); in sept. sap. prol. 24; epist. 17. §. 5; Grat. act. 70 (Suchaei edit.); istoc in sept. sap. Cleob. 8.; istuc idyll. 17, 18.; istinc perioch. 9. Od.

Pro „quisquis“ vel „quicunque“ Ausonius, Plauto auctore usus, quisque scripsit. Sept. sap. sent. Pittac. 5.:

Pareto legi quisque legem sanxeris.

et l. c. Cleob. Lind. 5.:

Parcit quisque malis, perdere vult bonos.

Cf. ad hos versus exemplum, quod Scaliger ex epigrammate quodam in Vergilium attulit:

Longe erit a primo, quisque secundus erit.

2) Iam de genere pronominum pauca habeo quae dicam.

In idyll. 6, 63. Ausonius masculinum quisque pro feminino posuit. L. c.:

se quisque absolvere gestit —

sermo hoc loco est de heroinis, ad quas pronomen quisque referri debet. Mirum sane est, cur Ausonius formam quaeque, a nobis exspectatam, quippe quae ad metri rationem aeque bene quadret, non scripserit; attamen codd. lectio quisque commutanda non videtur. Neque vero Scriverius nobis audiendus est, qui ad hunc locum gnome est, inquit, Ausoniana, ad quosvis spectans, non Heroidas tantum. Immo Ausonius, vetustatis quippe amantissimus, quum in aliis rebus tum in hac re manifesto veterum morem Enni, Planti, Terenti, qui saepissime quis, quisque, quisquis, quisquam genere feminino dixerunt, imitatus est. Iam Nonius (p. 197.) „Quis, ait, et generi feminino attribui posse, veterum auctoritas voluit." Atque idem valet de pronomine quisque. Id genus exempla, si operae est pretium, respice collecta a Neue, l. c. in p. 160. 176. 178.

Obiter denique attingo locum, qui in Auson. idyll. 12. per interog. et resp. 13. legitur:

Quid fluitat pelago, quod non natat in pluvio? pix.

Codd. Mariang. Accursi pro quid quis habent; quam lectionem Accursius tuetur nulla ratione nisus. Nam quod posuit: „quis dixit Ausonius genere neutro" nihil est, quum id ne ullo quidem exemplo comprobet. Verum ne exstat exemplum, ex quo eluceat a vestustissimis quis genere neutro dictum esse. Cf. quae de genere huius pronominis Neue, loco modo citato disseruit. Itaque recte ab editoribus lectio codd. quis immutata est in „quid".

Haec hactenus de pronominibus.

# Quaestio V.

## De verbo.

### §. 1.

### De verborum terminatione.

Verbum quinto loco nobis examinandum magnam praeberet memorandi copiam, si iusto modo eius persequeremur significationem, si indagaremus, quibusnam in verbis Ausonius, discedens a propria verborum notione, translatam vel minus usitatam exhiberet. Sed exempla huc revocanda tam multa *) sunt, ut oratio in iis versans iusto longior fiat necesse sit. Quare nihil aliud intendimus, quam ut Ausoni verborum et terminationem et coniugationem suis quamque exemplis illustremus. Atque primum terminationem respicientes quum verba nova seu Ausoniana, tum verba seu nova seu obsoleta seu minus usitata terminatione referemus.

1) Spe minorem licentiam Ausonius in novis verbis fingendis sibi sumpsit. Pauca tantum reperi verba Ausoniana eaque omnia verba composita.

Antepereo in epigr. 34, 2. L. c.

„Incipe versiculis anteperire meis". —

legunt Vinetus et Scaliger. Equidem malim duabus vocibus legere ante perire, ita ut „versiculis meis" in sexto casu posita sint.

Circumloqui in epigr. 146, 15. et in epist. 16, 8. (proloquor circumloquentis ambitu).

Compendifacere in epist. 17 extr.

Cetera quae noscere habes (Scalig. aves) compendifaciam. —

nisi forte mavis extra compositionem legere compendi facere

---

*) Ut unum tantum rei illustrandae causa exemplum annotem, affero locum, qui legitur in idyll. 6. pr.:

„Quae sibi ignoscunt et plectunt deum."

Hic verbum plectendi activam notionem verbi q. e. plector habet. Cf. Klotz, l. c. sub voce „plector". Cf. „inolesti" notione activa in Grat. act. 80; et „convertit" neutra notione in epigr. 69, 3.

(Scaliger compendio facere), id quod mihi placet. Velut apud Plautum in Most. 1, 1, 57. legitur: „Orationis operam compendi face." Ad sententiam quod attinet ap. Auson. l. c. compendi facere eodem sensu accipiendum est atque ap. Plaut. l. c., non vero qua significatione Iulian. Floridus vult, qui l. c. perperam sic interpretatur: Cetera, quae noscere cupis, in pauca contraham. Neque enim Ausonius in epist. exeunte iam quidquam respondet ad ea, quae Symmachus comperire voluit.

Defulgurare in perioch. 5. Il. — clipeus ignem defulgurat.

Exsinuare in idyll. 14, 29. (exinuabat amictus). Eodem verbo utitur Prudentius. Cf. Klotz.

Humificare in idyll. 8, 12. (Sementem humificet Notus.)

Interludere in idyll. 10, 76.:

Interludentes examina lubrica pisces.

Superexire in idyll. 18, 1:

Ter binos deciesque novem superexit in annos (vita virorum)

(alii: super exit.)

Haec sunt verba Ausoniana; quibus verbum minuiscendi adderem ex ephem. orat. 16, si Ausonium re vera ita scripsisse constaret. L. c.:

„— et profugi minuiscunt crimina somni —"

sic Scaliger veterem lectionem „munus cum", cuius nullus erat sensus, emendavit.

## 2) Verba inusitata terminatione.

Praeter verbum claudicandi seu claudendi (II. coniug.) Ausonius verbum quod est cludĕre vel claudĕre exhibet; cf. Neue, l. c. II. 327. In sept. sap. prol. 32:

sed si memoria
Rebus vetustis cludit — (alii: claudit.)

Cf. Alschefski ad Liv. 22, 39.

Pro verbo q. e. clueo Ausonius „cluo" scripsit. In prof. Burd. 21, 28.:

„Nancisci ut cluĕrent patribus ingenuis";

in lud. de sept. sap. Cleob. 2.:

Magnae sed auctor, qua cluo, sententiae.

Addo ex epist. 16, 21.: „Nam consul aeternum cluet", quo

loco cluet tempus futurum esse videtur. Neue, l. c. auctor est verbum q. e. cluo iam Senecam (de morte Claud. 7, 2.) usurpasse. Cf. praeterea Struve, über d. Lat. Decl. u. Coniug. p. 191.

## 3) Nonnulla verba deinde seu obsoleta seu usus rarissimi mihi commemoranda sunt.

Antiquatum est verbum expergendi, cuius participium expergitus bis apud Ausonium legitur. In perioch. 15. Il.: Iupiter somno expergitus et perioch. 14. Od. somno expergitus Ulixes. Velim conferas illud Prisciani (10, 4, 21. pag. 888): „Expergiscor experrectum facit, quamvis vetustissimi etiam expergitus dicebant.“

Porgere syncopa admissa Ausonius scripsit in idyll. 4, 37.

Antiquatum porro est verbum deponens poetandi in idyll. 6, 2. (ad ineptiam poetandi), cf. Enn. ap. Prisc. p. 829.

Pro verbo variandi Ausonius variegandi scripsit in idyll. 18. pr.:

figuras alias alio scientius variegant.

## 4) Nonnulla porro verba simplicia ab Ausonio pro ipsis compositis posita commemoro.

Saepissime verbum linquendi pro relinquendi Ausonius exhibet; hoc ter quaterve tantum, illud his locis.

In epigr. 139, 6. linquit; in orat. mat. 26 linquere; in parent. 16, 11. et perioch. 14. Il. linquens; in prof. 3 linquentem; in epist. 14, 1. linque; in prof. 15 linqueret; in epist. 14, 1. liqui; parent. 9, 26. liquisti; in epigr. 22, 2. liquit; liquerat perioch. 5. Od.; liquisset in epist. 24, 36.

Porro lirare cum notione verbi, quod est delirare in epist. 10, 9.:

„Et si Pierias patitur lirare poetas.“

Suesco denique pro assuesco in epist. 16, 2.:

„Suescat peritis fabulis iocari.“

## 5) Nonnullorum verborum deponentium activa minus usitata forma apud Ausonium reperitur.

Dignare pro dignari in epist. 16, 60.

adulavi in Grat. act. 5 (13) cf. Neue, II, 197.

Forma reminisco, cuius Prisc. (8, 6, 29. p. 799) mentionem facit, ab Ausonio ipso in epigr. 48, 49 improbatur.

6) Haud ab re denique duco verborum deponentium participia, ab Ausonio passiva notione prolata, hic referre. Sed brevitatis causa ea omitto, quae apud optimos etiam prosae orationis scriptores non raro reperiuntur.

In perioch. II pr.:

raptio Helenae quae opinione veterum bipertita est — participium bipertita passive dicitur. De passiva notione participii q. e. bipartitus disserit Neue, II. p. 233. Neque vero non veri simile est, participium bipertita ab activo quodam verbo, quod est bipertio derivari.

In epigr. 135, 5. „Saepe ego mentitis tremui nova femina somnis" —, mentitis passiva notione est.

In eqigr. 13, 17. „oblitaque gaudia iunge", oblita passivam notionem habent.

Sic in idyll. 4, 52.: oblita mihi tot carmina; in idyll. 11. pr: Quae omisi non oblita, sed praeterita existimet.

Denique in praefatiuncul. 2, 43. „Sic etiam nostro praefatus habebere libro", praefatus passive dicitur.

---

§. 2.

## De verborum coniugatione.

Insuetae verborum coniugationum formae, quae apud Ausonium reperiuntur, maxima ex parte archaismo tribuendae sunt.

Obsoletam infinitivi praes. pass. formam, quae desinit in er, semel apud Ausonium reperi in epigr. 139, 7:

Atque utinam et Thebis quissent partirier ipsas.

Cf. Ramshorn, Gramm. §. 62, 5 h.

Infinitivum perf. act., per syncopam contractum, Ausonius bis exhibet.

In lud. de sept. sap. Lud. scripse et l. c. vs. 7.: dixe;
ibid. Cleob. 8. dixe.

I vocalis per syncopam etiam in participio impostus elisa est. In epist. 8, 5.:

*Cornipedes* rapiant imposta petorita mulae.

Face pro fac Ausonius scripsit in epigr. 80, 4.:

aut transire iube: vel face utrimque parem.

Face in omnibus quas inspexi editionibus (Toll. Such. Bip. al.), legitur. Ad metri rationem quod attinet, utraque lectio fac et face ferri potest; neque enim audiendus est Suchaeus, qui annotat: Face legendum non fac, si velis constare metri rationem. Sed face codd. videtur esse lectio et hanc ob rem ea non mutanda est. De forma face cf. Neue, II. p. 336 sqq.

Redimibat pro redimiebat Ausonius scripsit in epigr. 94.

Eiusdem IV. coniugationis tempus futurum semel terminatur in „ibo"; in epist. 25, 61. patriosque istic sepelibis honores.

Perfectum verbi quod est sino apud Ausonium sini, non sivi est; in prof. 17, 15.:

Decedens placidos mores tranquillaque vitae
Tempora praedives sinisti sede Cadurca.

Sic legit iam Neue, quem conferas l. c. II. p. 379. quum in editionibus pro sinisti finisti legatur. Sine ulla dubitatione sinisti legendum est: nam loci sententia finisti aspernatur ac respuit. Itaque finisti ex errore editorum, quippe sinisti non intellegentium, ortum mihi videtur. De perfecti forma sini cf. Alschefski ad Liv. 3, 18, 6.

In verbo q. e. potiri Ausonius duas III. coniugationis formas praebet.

In monostich. de ord. XII. imperat. 5:

Claudius hinc potĭtur regno. Postquam —;

in epitaph. 35, 4: potereris. Cf. Heins. ad Ovid. Met. 13, 130.

Gerundium huius verbi ut vulgo, sic etiam apud Ausonium potiundus (epigr. 100, 4.) est. Eandem gerundii terminationem apud Ausonium praeter hoc exemplum in uno tantum verbo reperi. Experiundus in ephem. Loc. ord. 4.

Has obsoletas formas verbi q. e. sum, Ausonius exhibet. In sept. sap. Bias 9 fuat; idem in epist. 16. pr. fors fuas ut.

Iam operae est pretium nonnullorum verborum defectivorum formas, quae alias aut non aut raro leguntur, ex Ausoni carminibus hic referre et componere.

A verbo quod est fari Ausonius praeter tritissimas formas fatur, fari, fare, fandum, fandi, fando in parent. 19, 14. fantis exhibet:

„Atque Pudentillam fantis honore colit“ sic Scaliger; Vinetus male „fratris amore“. In prof. 21, 23. supinum fatu:

Dulcia fatu verba canentem.

Ex formis verbi q. e. queo praeter usitatas Ausonius quissent exhibet in epigr. 139, 7. Cf. Neue, II. 399.

A nequeo participium nequiens in prof. Burd. 2, 29.

Aliud verbum defectivum est memini, cuius rarum participium meminens apud Ausonium in prof. 1, 40. legitur: Vivis adhuc aevi quod periit meminens. Cf. Neue, II. p. 478.

De quatuor illis quas grammatici statuunt coniugationibus denique generatim disserens, pauca verba faciam de formis per syncopam e longioribus in breviores contractis.

Breviores formas Ausonius multo magis amat; oratione numeris devincta certe plerumque breviores, pleniores saepius in sermone soluto exhibet, quippe quae optime congruant ad longas quas facit periodos, verborum copia ambituque redundantes. Longiores autem formas hac ratione contraxit seu mutilavit.

Permulta apud Ausonium reperimus exempla eius syncopae, ut verba primae et quartae coniugationis tempore perfecto et ab hoc temporibus derivatis r litera elisa duas vocales in unam longam contrahant. Sic mutasti, optaras, continuarit, scisti (Grat. act. 57) scieras, punisse, quissent (epigr. 139, 7.). Sed exempla huc revocanda plura sunt, quam ut ea omnia hic referre liceat. Sufficiat monuisse Ausonium plerumque formas contractas amare.

Minus saepe quum apud Ausonium tum apud ceteros Romanorum poetas formae contractae verborum secundae et tertiae coniugationis in usu sunt, quorum perfectum in evi, ovi et ivi terminatur. Apud Ausonium has observavi:

In parent. 4, 25. flesti; in Grat. act. 80 inolesti; in epigr. 141, 2. nosti; in idyll. 13, 17. noris; in epitaph. 5. nosse; in praefatiunc. 2, 3. nosses; in idyll. 8. cupisset; concupisti; in idyll. 8. pr. desieras in epitaph. 38, 3. lacessieris in epist. 11. pr.; quaesieris in Grat. act. 38. (Such.); intristi in idyll. 7. pr.

In verbis compositis, a verbo eundi derivatis, Ausonius saepissime r literam tempore perfecto et ab hoc temporibus derivatis elidit et modo i—i in ī contrahit, modo contractionem neglegit. Sic in idyll. 2. perīt et interiit; in epitaph. 31, 2. et lud.

sept. sap. Chil. 5. abiit, obiit, abît, obît uno eodemque loco exhibet. Cuius generis sexcenta exempla legimus; formas integras ter quaterve tantum. In epist. 9, 48. adivi; in epitaph. 32, 4. obivit; in clar. 6, 12. transivit. Simplicis verbi q. e. eo unam tantum formam contractam apud Ausonium legi, in epist. 5, 7. isse.

Persaepe Ausonius evitandae asperitatis causa (Quint. 1, 5, 42.) secundam personam num. sing. verborum passivorum et deponentium omnium coniugationum excepto indicativo praes. in re pro ris terminantem exhibet. Permulta exempla in promptu sunt, quae brevitatis causa sciens omitto. Sufficiat monuisse Ausonium formas in re exeuntes plerumque scripsisse.

Saepissime denique Ausonius tertia persona plur. num. indicativi perf. act. formis in ere pro erunt exeuntibus utitur. Quod genus exempla hic referre longum est. Non omitto ea, quae memoratu dignissima sunt, respondêre in epist. 25, 26. et in Grat. act. 73. (Such.) vidêre (sic Gellius 10, 3, 17.) cf. Neue, II, p. 295.

Hactenus de Ausoni proprietatibus in usu verborum.

---

# Quaestio VI.

## De adverbiis.

Ausoni studium aliquid novi et exquisiti in oratione affectandi non parum habet momenti etiam ad usum adverbiorum. Non pauca adverbia Ausonius protulit, quae alias non leguntur, alia, quae obsoleta vel usus rarioris sunt.

Adverbia, quae apud Ausonium tantum reperiuntur, haec sunt:

glomeratius in Grat. act. 68 (29): quis oratorum densata gl. dixit.

improperanter in epitaph. 35, 3.

indefesse in Grat. act. 35 (77).

interne*) pro intus in clar. urb. 14, 14. et epist. 5, 21. Cf. Neue, II. p. 518.

---

*) Libet hoc loco annotare internē ab Ausonio ultima syllaba correpta proferri. Adverbia similiter ab Ausonio licenter correpta sunt haec.

In epigr. 105, 5.:

Nam tecum fere totus ero, quocumque recedam —

signanter in Grat. act. 9 (4): omnia signanter et breviter indicare.

Haec sunt adverbia Ausoniana; iam nonnulla seu vetusti seu usus rarioris mihi proferenda sunt.

Properiter in parent. 27, 1.

Et amita Veneria properiter obiit.

Cf. Att. ap. Non. p. 155; Neue, II. p. 503.

Vetusto adverbio, q. e. praes Ausonius usus est in lud. de sept. sap. Ludius 19:

Spondere qui nos, noxa quod praes est, vetat.

Praes idem ac praesto; cf. Plaut. in Pers. 2, 4, 17. et Fest. sub voce „praes".

In epist. 25, 28. Ausonius obnixum pro adverbio obnixe scripsit:

obnixum taces.

Adiectivum praeceps bis adverbialiter exhibet. In eclog. in quo mense qd. sign. 12 (praeceps ire), id. in idyll. 10, 272.

Duo adverbia Ausonius pro adiectivis usurpat. In epigr. 4, 1.: „penitis in oris occultatus", et idyll. 17, 5.: studiis seorsis.

Missas facio nonnullas praepositiones, quas Ausonius adverbialiter usurpavit, ante, post, super, clam (sept. sap. Sol. 4), coram (orat. mat. 6). De qua re conferas Neue, II. p. 516. 528.

# Quaestio VII.

## De praepositionibus.

Reliquum est ut paucis de proprietatibus agam, quas Ausonius in usu praepositionum habet. Ausoni usum coniunctionum examinare omitto; nam omnia huc revocanda iusto modo persequi longioris laboris fore nemo est, qui ignoret. In usu

---

fere, cuius ultima syllaba semper producitur (cf. Neue, II. p. 518), ea syllaba correpta profertur. Porro ultima syllaba ab Ausonio correpta est in adverbiis amicĕ et inimicĕ. In heptastich. Thal. 6, 5.:

Quum falso laudas, tunc et amicĕ noces,
Quum vere obiurgas, sic inimicĕ iuvas.

Attamen nihil impedit, quominus amice et inimice pro vocativis accipiamus.

praepositionum Ausonius in universum a communi loquendi ratione non discessit. Praeterquam quod vetustam praepositionem endo in Ausoni Grammaticom. 18 (cf. Neue, II. p. 548) commemoro, fusius de uno tantum loco disserere debeo. Qui locus ab Ausoni interpretibus diverse tentatus adhuc nondum sanatus est. In parent. 3, 15 (10) sq. verba leguntur:

Hinc tenus Europam fama crescente perito
Constantinopolis rhetore te viguit.

Sic codd. et omnes quas inspexi editiones. Ausonius si revera ita scripsit — quod equidem negaverim — neque quid spurii in his versibus latet: observandum nobis est primum tenus cum accusativo elatum, tum eam praepositionem ante nomen attributum positam esse. Utrumque contra communem dicendi usum factum est. Loci, quibus tenus cum accusativo effertur, valde dubii sunt ex discrepantia codd. lectionum. Cf. Rudimannum in sua inst. gramm. Latin. part. II. p. 323. Praepositionem tenus postponi debere (propter euphoniam) Charisius, Servius, alii auctores sunt. Cf. Neue, II. p. 557 sq.

Ausonius praepositione tenus loco cit. excepto semel in prof. 17, 5. usus est nulla licentia sumta; „auditu tenus".

Iam inquiramus, qua ratione Ausoni interpretes locum nostrum explicent atque tueantur et num Ausonius ea, quae in codd. sunt, scribere potuerit.

Versui „Hinc tenus . . . ." praecedunt verba:

Te Narbonensis Gallia praeposuit,
Ornasti cuius Latio sermone tribunal
Et fora Hiberorum quaeque Novempopulis.

His versibus Ausonius hanc sententiam exprimit: Condecorasti oratione Latina forum Galliae et tribunalia Hispaniae et fora, quae sunt apud Novempopulos. Inde cum Europa tenus nomen tuum proferretur, Constantinopolis floruit te docto rhetore. Equidem haec verba, fateor, non intellego; nam Gallia et Hispania tam in Europa sunt, quam Thracia, in qua est Constantinopolis. Quae ratio movit Graevium, ut sic scriberet atque distingueret:

Hactenus Europam, fama crescente perito.
Constantinopolis . . . . . .

Subintellegit ex versu superiore ornati. At verum quid hac mutatione lucremur, ignoro. An Constaotinopolis, qua in urbe

rhetor floruit Arborius ex Ausoni opinione ab Europa exclusa est? „Minime!“ alius ait, Ausoni interpres, nescio quis; „at quemadmodum, inquit, Africa et Asia singulae suam minorem Asiam et Africam habent, ita et Europa suam Europam (minorem), in qua Constantini urbs sita est.“ Sed etiam tum Constantinopolis in Europa, licet in Europa minore est, neque Constantinopoli ab urbe Europa tenus famam crevisse Ausonius dicere poterat. Aliam hunc locum explicandi ac defendendi viam Iulianus Floridus ingressus est, qui interpretatur: Fama crevit ad extremam usque Europam i. e. quousque Europa extenditur. Quam interpretationem etiam Ioannes-Bapt. Suchaeus receptam probavit. At docti illi viri praepositioni tenus vim ac notionem extorquent, quam ea alias nusquam habet et quam ut suapte natura habere possit, non immerito vereor. Verba Europa tenus fama crevit nihil aliud significare possunt, quam: Fama crevit usque ad Europam, non vero id, quod Suchaeus vult: trans Europam usque i. e. quousque Europa extenditur. Quare ne Floridi ac Suchaei quidem opinio probari debet. Sed aliam explicandi rationem nullus ex Ausoni interpretibus indagavit. Verum ne potest quidem alia reperiri. Nam codd. sententia, quae verbis: Hinc tenus Europam . . . . exprimitur, sanae repugnat rationi. Itaque mihi persuasum est Ausonium ita non scripsisse et versus inde a verbo Hinc usque ad verbum Viguit — aliquo modo corruptos esse. Vitium autem sine ulla dubitatione latet in verbis „tenus Europam“; nam hoc genus dicendi abhorret, ut iam demonstravimus, a consueto usu dicendi. Itaque haec verba a librariis deprata esse credo. Quid vero horum loco Ausonius scripserit, difficilis est coniectura. Contra quid dixerit Ausonius iam recte, puto, Iulian. Floridus sensit. Ausonius dixit: Inde fama ad extremam usque Europam vel trans Europam usque crescente Constantinopoli rethor viguisti. Quae sententia praegnanti tanquam modo exprimitur, si legimus pro „tenus Europam“ „super Europam.“ Nam praepositio super hoc loco non tantum complectitur notionem ac vim verborum ad extremam usque Europam, sed etiam significat famam trans fines Europae prolatam esse.

T a n t u m.